



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,  
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz  
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas II. De regula vindicandi in iudice.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

DICES 3. cum eodem. Punitio habet honestatem suam peculiarem independentem immediate & formaliter ab omni jure proprietatis, obligatioque judicis, quâ adstringitur Reipublicæ, solum efficit, ut per virtutem commutativæ imperet actum punitonis.

RESPONDETUR. Concedo totum. Sed inde non sequitur sub aliqua formalitate, non posse illam revocari ad commutativam.

## DIFFICULTAS II.

### De Regula vindicandi in Iudice.

Sensus tituli est: An Judex debeat judicare secundum allegata & probata, idque, etiam si oppositum, norit verum. Est ergo in hoc difficultas, quaestionem facti applicant allegationes & probationes, notitia privata judicis, eaque certa, & evidens applicat aliter factum, quaritur ergo in formando iudicio seu conclusionem, debetne accommodare sese allegatis, ut dicat: Ergo est puniendus, an se debet accommodare suæ notitiæ, ut inferat conclusionem. Ergo, non est puniendus.

Divisi sunt in hoc puncto Auctores. Aliqui dicunt, quod debeat Judex sequi propriam notitiam. Ita ex Juristis Abbas, Martinus, Panor. mit. Oldendorpius apud Covarruvias. Ex Theologis Lyran. Ang. Sa. & alii. Oppositum S. Thomas hic q. 67. a. 2. 64. a. 6. ad 3. Cajet. Valent. Sylvester & alii. Medias Sententias refert plures Dicaft. d. 4. n. 8. Lugo autem d. 37. n. 15. cum sententiam hanc S. Thomæ valde esse probabilem docuisset, propter Auctoritatem S. Thomæ, tandem media via it; quod Judex secundum allegata & probata, contra privatam certam in oppositum sententiam, non possit discernere in causis criminalibus, vel mutilationibus; possit in minoribus, quod etiam docuit Lessi. Navarrus, Konink.

DICENDUM EST. Probabilius esse, spectatara-tione, quod iudex non possit damnare secundum allegata & probata, quem alias norit esse certa notitia innocentem.

PROBATUR I. Si Judex posset in tali casu damnare innocentem, falsificaretur universalis regula morum, quæ hoc ipso nec foret universalis, nec regula, si falsificaretur: quia regulæ tales, vel sunt principia moralia, lumine naturæ nota, vel proximè deducta: lumen autem naturale, & tales deductiones, supple certæ & evidentes, non possunt fallere, sequela probatur. Regula morum universalis est ad malitiam contrahendam, sufficit etiam indirectum voluntarium. Item non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Item concurrente duplici formalitate mala & bona, actio, secundum illas formalitates procedens non potest esse nisi mala, adeoque sequens debiliorem partem. Hæ autem regulæ falsifi-

cantur, si liceret innocentem dicto casu occidere: quia directum voluntarium, haberet satisfaciendi allegatis & probatis, indirectum autem voluntarium, occisionem innocentis, quem novit esse innocentem, advertitque, & tamen vellet damnari, idque ut dicunt oppositi, licite. Secunda regula falsificaretur: quia fieret malum occidendo innocentem, ut eveniat bonum, observandi leges & allegata. Falsificaretur & tertia Regula: quia si quis æger appetat comedere carnes die veneris titulo sanitatis, vel retinendæ vitæ, ut si extremum fame scat, ex alia parte putet hoc, esse illicitum comedat tamen, verè talis peccabit mortaliter: quia inclinat voluntatem illo partiali motivo malo, quod non deberet sequi. In præsentem autem idem etiam contingeret; nam Judex uteretur motivo bono, quod est servare leges, & simul malo, volendo innocentem occidere. Si ergo id faceret justè, tunc posset actio fieri justa, & tamen esset ejus unum motivum parziale honestum, & aliud parziale motivum inhonestum, quod fieri non potest, ex dictis circa Majorem assumptam.

PROBATUR 2. Argumento communi. Non potest licite cognoscere quis eam, quam certò scit non esse suam, quamvis à iudice etiam Ecclesiastico, idque sub pena etiam excommunicationis, adjudicetur alicui, ut illa utatur tanquam sua. Ergo, nec potest licite occidere innocentem, quem allegata & probata, docent esse nocentem.

RESPONDET I. Sanch. Sicut licitum est cognoscere eam, quæ invincibiliter putatur sua, ita & licite erit occidere eum, qui invincibiliter à iudice, tanquam publica persona, putatur esse nocens.

CONTRA. Quia nihil respondetur ad paritatem. Concedo esse licitum cognoscere eam, quæ putatur sua: nam in hoc nulla regula moralis falsificatur; imò agitur secundum illas; quæ tamen scitur certò, non esse sua, non potest cognosci, quamvis adjudicetur à iudice. Ergo, etiam, quamvis licitum sit occidere innocentem, qui invincibiliter putetur nocens, si tamen sciatur illum innocentem esse, quamvis in oppositum dentur allegata & probata, non poterit occidi.

RESPONDET 2. Turrianus. Nullum est jus, quod postulet copulam cum non sua: in præsentem autem casu, est jus, scilicet bonum publicum.

CONTRA. Nullum est jus in copulam cum non sua. Ergo, nec ullum jus, in vitam innocentis. Et quando adjudicatur non sua, idque ad usum sub pena excommunicationis, si est non obediendum, cum tamen sit publicum bonum obedire imperanti decreto. Ergo, nec in præsentem, bono publico obediri debet.

RESPONDET 3. Idem. Probabilem esse sententiam, quod Judex possit secundum allegata & probata discernere, non est autem pro-

babile, quod possit secundum allegata & probata uti non sua.

CONTRA. Quia hic non queritur de auctoritate, nec taxatur opposita sententia, redibitque paritas: Non est probabile quod liceat casus antecedentis. Ergo, probabilius saltem est, non licere casum consequentis.

RESPONDEBIS 4. Non est potestas ulla Reipubl. ad dandum jus in non suam: quia hoc jus est ex mutua traditione, quæ tunc non habetur. Jam autem est jus Reipubl. in vitam civium, quod jus, judici delegare potest in casu, quod id poscant allegata.

CONTRA. Non est potestas ulla Reipubl. ad dandum jus in non suam: quia ratio suæ, requirit traditionem, quæ non habetur, quamvis dentur allegata & probata traditionis. Ergo, etiam non est potestas ulla Reipubl. ad dandum jus in innocentem: quia ratio pœnæ requirit nocentem, quæ nocentia non habetur, quamvis dentur allegata & probata nocentia.

RESPONDEBIS 5. Negando Antecedens, quod negarunt apud Sanch. L. 2. de Matrim. d. 39. Mgr. Hugo, Medina, Sepulbeda, Hostien. Perez.

CONTRA. Tum quia. Ut urget Sanch. oppositum est decretum Cap. *Inquisitioni de sententia excommunic.* Tum quia. Verè tunc esset fornicatio, & tamen liceret, quod est absurdum. Tum quia. Censuratur hæc sententia, à Sanch. quidem, quod sit falsissima & in fide periculosa: erroneam appellat Corduba. falsam S. Thom. & Durandus.

PROBATUR 3. Tum quia. Si innocentem licitum esset ob allegata & probata ad verba, occidere, licitum id esset: quia ita permittit judici Respublica. sed non permittit: quia hoc tantum potest permittere, quod ipsa potest facere: nomine enim illius facit iudex, sed si sciret Respub. illum innocentem, non posset illum occidere secundum Leges, quia Respub. nullas leges, vel tulit vel ferre potest in eum, quem scit esse innocentem: quia id esset contra leges naturæ, de servando innocente. Tum quia, intentio Legislatorum est, ut servetur innocens, damnetur nocens, cui intentioni in præsentem non satisficeret. Tum quia. Ideo adhibenda sunt allegata & probata, ut formetur sententia iustè, sed in præsentem non potest formari sententia iustè: quod ipsum probatur, quando non potest ferri sententia prudenter, non potest ferri iustè: quia prudentia, est universalis directrix, nec operatur quisque honestè seu iustè, nisi operando secundum regulas agendi, hæc autem regula est prudentia, sed dicto casu non potest ferri sententia illa prudenter: quia nemo etiam probabiliter persuadere sibi potest rem fuisse, idque prædicè, si certo & evidenter illi constet non fuisse.

*Solvuntur Argumenta in oppositum.*

OBJICITUR 1. Ab Auctoritate prima sit Deut. 17. Secunda ex c. Pastor. Paragrapho. Quia verò Tertia Ambrosii, serm. 20. in Psal. 118. Quarta cit. S. Thomæ. Quinta Juramenti Polonorum iudicum, formula quam ita habet Herburtus, verbo Juramentum. Ego *N. iuro, quia iustè secundum Deum, jus scriptum, equitatem & partium controversias iudicabo &c. &c. sic me Deus adjuvet; & hæc Sancta Crux.*

RESPONDETUR. Primam Auctoritatem, negativum facere sensum; nemo damnetur, si non adsint duo ad minimum testes. Non facere autem sensum positivum; damnetur semper si adsint. Secunda, sicut & S. Thomæ quarta, facit probabilem oppositam sententiam ad quod etiam se reflexit phrasim Conclusionis. S. Thomæ, Auctoritas ad maximum, sic explicari posset, quod velit, si noscat veritatem, h. e. obiectum quocumque modo iudex, possit sequi allegata, nihil enim agit de veritate, quæ noscatur certò & evidenter: Si enim non noscatur oppositum certò & evidenter adhuc non deiciuntur allegata & probata à ratione probabilium, deiciuntur autem, si certò & evidenter sciatur oppositum. Ambr. nihil agit de occisione innocentis, qui scitur certò innocens, sed solum vult, ne iudex secundum affectum & proprium placitum iudicet, adhucque secundum merita causæ iudicet, si illi de innocentia constet. Idemque solum, vult forma Juramenti Polonorum iudicum; & indubiè censetur iudicare secundum Deum, si pro innocenti iudicet, quia hoc ipse Deus per lumen intellectus dicat, ut eripiat innocentem de manu fortium, fortitudine allegatorum & probatorum. Hinc in verbis juramenti, prius ponitur æquitas, postea allegata, quod etiam ipsa debeant esse, secundum æquitatem, meminit tamen formula juramenti allegatorum ut, sicut dixi, non iudicetur merè ad placitum.

OBJICIT 2. Valen. Iudex non potest censeri rectè facere aliquid ex suo officio, nisi etiam communitas censeri possit facere & approbare: hoc enim est iudicem esse publicam personam, cum sit quasi ipsa communitas. Sed si iudex postposita testificatione publica, ferat aliquam sententiam, non potest tunc censeri communitas id facere, aut approbare: nam scientia privata iudicis, non potest censeri scientia certa communitatis, cum sit scientia tantum unius partis, communitatis, quæ idcirco facilius potest falli, quam plures.

RESPONDETUR. Sub allata Majori, posse pro nobis subsumi minorem. Sed communitas non vult occidi, quem scit esse innocentem. Ergo. Directè dici potest, quod scientia privata iudicis, posset censeri moraliter, vel æquivalenter scientia communitatis, quia ipse iudex est moraliter ratione officii communitas; licet non possit

possit illa notitia censerī formaliter notitia communitatis. Falsūque est posse falli facilius evidenter nocentem, quā plures, quorum allegatio & probatio, deicitur ab opposita evidētia, in statum suspicionum & falsitatum. Dicunt alii, scientiam illam iudicis habere se per modum testimonii, cui quia evidenti magis deferendum quā pluribus inevidentibus: nam etiam Regio testimonio plus defertur, quā simplicium v.g. duorum militum. Addo. Quod vices communitatis non debeat subire iudex in sciendo probationem facti, sed debet subire in iudicando, quod ipsum exequetur, quantumvis pro innocenti sententiet.

OBJICIT 3. Dicat. Homo in iudicando non debet uti ea scientia, cuius usu, juxta mores hominum, aperiretur via, infinitis fraudibus, talis autem est privata scientia.

RESPONDETUR. Privatam notitiam certam, & evidētem, non aperire viam fraudibus; sicut nec aperuit Danieli contra duorum allegata senum disceptanti. Nec obest, quod præterit possit illa scientia: nam exinde non sequitur adhiberi eam non debere: quia possunt adhiberi allegationes falsæ, imò & juramenta, & tamen adhibentur. Sufficit ergo quod ex natura rei, illud, quod adhibetur, veritatem, manifestet, quidquid sit, quod illa aliquis abutatur.

OBJICITUR 4. a Pari.

PRIMA PARITAS est. Licitum est explodere in turrin, quamvis sciatur ibi non hostes tantum, sed & cives occidendos. Ergo, & in presenti, licitum erit innocentem damnari.

RESPONDET LUGO. Ibi non intendi directè occisionem innocentis, sed arcis hostilis expugnationem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia dicerent oppositi, tunc iudicem indirectè velle occisionem innocentis, directè autem observantiam legis, & allegatorum, quæ tenere debent. Hinc DISPARITAS sit, quia quo casu manet jus Reip. ut titulo boni communis exigat vitam, quamvis sciatur illi esse cives & servandi, & quando manet obligatio in innocentibus ad prodigendam pro sua parte vitam, non apparet unde jam evadat, illicita illa actio. Jam autem non manet in Reipubl. sciente, quod hic sit innocens; jus occidendi eundem. Deinde, in casu Antecedentis non est legitima ratio, nosti me esse civem & servandum, noli explodere: quia posset Resp. replicare: quia estis cives, debetis hæc ferre. Est autem legitima ratio. Nosti Reipubl. me esse innocentem, non me punias: quia evacuativum debiti pænæ, est innocentia, non est autem evacuativa, in casu, ut dixi, Antecedentis. Iudex autem debet id facere, quod faceret, si sciret communitas.

SECUNDA PARITAS est. Qui novit scientia privata, quod delatus, sit nocens, si tamen allegata probent illum esse innocentem, non potest

illum damnare. Ergo, è converso, nec absolvere.

RESPONDETUR. Aliquos negare Antecedens. Sed disparitas sit, quia de non damnando innocente, est præceptum negativum, adeoque debet semper impleri. Hoc autem quod est damnare nocentem, est præceptum affirmativum, quod non semper obligat, si cætera non sint paria. In presenti autem non sunt cætera paria: quia lex clementiæ, fundata in natura, dicat: bonum esse, etiam nocenti parcere, si fieri commodè possit. Commodè autem fieri potest, ut pænâ publica, non irrogetur pro delicto privato.

TERTIA PARITAS. Iudex potest cogere debitorem ad solvendum, quando ipse privatim, novit esse debitorem: quamvis non possit hoc in iudicio probari. Ergo, etiam potest cogere ad solvendam pænâ, si noscat privatim nocentem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia in casu Antecedentis non agitur contra innocentem pænâ, quod ipsum natura verat, agitur autem in casu Consequentis.

OBJICITUR 5. Ratio S. Thom. Iudex est persona publica. Ergo, debet iudicare secundum scientiam publicam.

RESPONDETUR, esse illic scientiam publicam æquivalenter, non autem formaliter.

INSTABIS. Saltem potest iudex sequi opinionem probabilem, probabile autem est, quod dicunt allegata & probata publica.

RESPONDETUR. Contra certam notitiam physicam rei, non potest in oppositum etiam probabilitas haberi: quomodo enim est probabile, quod hoc fecerit; cum norim certò physicè, illum non fecisse.

## DIFFICULTAS III.

*Notantur quedam.*

NOTO 1. In omni iudicio, tres convenire ad formandum Syllogismum requisitum, ad sententiandum. Primò, venit Reipubl. vel Princeps Legislator, formatque Majorem, hoc est, leges & dictamina iudicandi. Secundò venit auctor facti, qui ponit Minorem, acceduntque allegata & probata, quæ non ponunt factum, sed applicant: ad eum modum, quo faciunt motiva credibilitatis, circa credenda. Tertiò accedit iudex, qui sententiam formando, ponit Conclusionem.

NOTO 2. Sententia iudicis est Conclusio practica, in ordine ad puniendum, vel liberandum, gravandum vel eximendum: accepto enim quocunque argumento practico, quod in illo est Conclusio, hoc in iudice est sententia. Et si iudex syllogisticè procederet, sententia illius Conclusionem constitueret. Quod ipsum in hoc

R. P.  
H. M. L. O. D.  
a. 10. w. s. k. i.  
Tom. 3. ei. 4.  
D. VI  
6